

DISSERTAT. HISTORIC.
SECUNDAM

An 7

DE

IDOLIS

SLAVORUM,

PRÆSIDE

M. JOHAN. PETRO

LUDOVICO,

POET. LAUR. CÆS.

exponet

MICHAEL Srenkel/

Budissa-Lufatus,

An. c^{to} 1^o c^{to} VIIIIC.

Die XXIV. Septembr.

Hora antemeridiana, locoque consveto.

VVITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





DE SVANTEVITO.

Um superiori dissertatione fabulam de *Sancto Vito* discussis; quid ceteri de *Suantevito* sentiant auctores, expendam necesse est. Sunt enim qui fabulosum de illo martyre commentum, in Helmoldo & aliis subolere, & aliquantum meliores propterea sunt: in eo tamen infelices, cum in alium scopulum impegerint, Slavonicæ Lingvæ non admodum periti. Nec enim in *Swiata*/Slavis *Sancta*, & *Wjß*/quod sua Lingva *Substantiam* notat, veras *Suanteviti* origines cum illis reperimus; neque *Swica*/ nostris *Lumen*, vocabulo natales dedisse credimus; cum à recto veritatis tramite, & genuina vocis scriptura hæc omnia quam longissime absint (gg).

A 2

§. 12

(gg) Posterior sententia *Schneideri* est, in *Chron. Lips. lib. IV. p. 141.* cujus conjectura in eo præ aliis se commendat; quod æque cognoverit nobiscum autor, *Suanteviti* summum, quem inter omnes Slavorum Deos principatum habuit incongrue satis *S. Vito* tribui: de *Lumine*, quo tamen an solem intellexerit, equidem divinare nolum, rectissime omnium explicari. Cum vero nihil prohibeat, quo minus hic ipsum *Solem* assumamus; tot deinceps ritus & descriptiones *Suanteviti* huic sententiæ favent: tum maximam *Solis* rationem quascunque gentes inter idola habuisse constet: & postremum vix aliud etymon nomini hujus idoli respondeat; abire etiam ab hac veritas cogit. Nec alias ob causas priorem rejicimus; quippe quæ easdem plane difficultates ha-

§. 12. Verum, ne impugnasse aliorum saltem iudicia, nec certius quid, aut probabilius attulisse videamur; nostra, quæ circa origines *Suanteviti* sententia sit, & quam firmisimis porro argumentis nitatur hæc ipsa, breviter exponimus. *Suanteviti* enim à *Slonzez* vel *Swonzez* / quod apud Slavos *Solarem*, aut *Deum*, aut *Dominum solis* notat, dictum appellatumque fuisse existimamus (*bb*).

§. 13. Et

bet; neque credibile, ut aliquoties monuimus, imperitam ac rudem gentem *substantiam divinam* sine sole & imagine coluisse; quin potius, quod Cæsar, infra commemorando loco de Germanis affirmat, illos saltem Deos, & *Solem* inter hos præcipue adorasse, quos cernerent, & quorum operibus aperte iuvarentur, certum est.

(*bb*) Ut de etymo vocis antea recte pleneque constet, danda à nobis opera est. Primum igitur *Swonzo* Slavis *Sol* dicitur; à quo *Swonzez* *Solaris*, imo *arbiter Solis* provenit; apposite Germanis *ein Sonnen-Mann*. Nunc vero, quod perpetuum est, ultimam litteram *z* in Slavicis vocibus, Germani in *wiz* / præmissis *Ein* sua Lingva transferunt; & ita à *Swonzez* / habes *Swonzewiz*. uti ex *Bunez* *Bunewiz* / *Slunkez* / *Slunckewiz*. factum; quæ nomina pagorum in Lusatia sunt. Cum autem *z* in una voce bis non sine molestia ac pronuntiationis difficultate audiat; unius porro ejusdemque cum *z* & *S* organi ac originis sit; alterum *z* in *z* mutatur, sicque à *Swonzewiz* / *Swontewiz*; dictum; ad terminatio-

nem item indolemque Romanæ Lingvæ; non *Suantevizus*, sed *Suantevitus* scriptum est. Et cui hæc non sole meridiano clariora videbuntur? qui saltem à *Ruzzis*, *Ruffos*, & *Ruttos* in veteribus Historicis passim legi animadvertit. Ita enim peregrina ad illius Lingvæ in qua usurpantur indolem efformanda sunt; uti, bono cum Deo, in libro de *Orthographia Germanica*, qui proxime carceres mordebit, copiosius edisseram. Confer, si vis, *Dausquium* in vasto volumine de *Orthographia*. Vol II. *Tractat. XXI. p. 340*. At vero instabis non *Swontebitum* sed *Suanteviti* legi. Hunc ego, qui mihi hæc objicit, in Sueviam; aut si hæc longius abest, in Thuringiam relego; audiet ibi *Vöter* / *Schwoger* / & apud Pontificios in sacris ibi ceteribus; *Pöter noster* &c. quis vero ab elegantioribus Lingvæ cultoribus *Väter* / *Schwager* / *Pater* & scribi & pronuntiatum dubitet? Ceterum falso alii legunt *Suantobitus*; Helmoldus enim à quo reliqui omnes sua habent, *Suantevitus* scribit; principem autem hujus idoli scriptorem omnes sequantur par est. Vides ergo quam nulla literula, aper-

§. 13. Et quam belle denique omnia, quæ de *Suantevito* dicuntur, cum iis, quæ gentes de sole commentæ sunt, concordant: ut sententiæ nostræ esse quam certissimi, vel ob has causas tantum possumus. Cum enim *Suantevitus* DEUS Deorum, & commune Slavicæ gentis oraculum ab *Helmoldo*, *Saxone Grammatico*, *Dubravio* aliisque appelletur; singula huic sideri quam aptissime respondent (ii).

A 3

§. 14. SU-

nullus obster, quo minus *Suantevitus* Germanice den *Swantewiz* Solis Idolum dicamus? quot vero flexus, & reflexus, metatheses & aphæreses requiruntur? Si *Suantevitus*, *Sanctus Virtus* esse, aut *Sanctum lumen*, sive *Sanctam substantiam* notare debeat; hoc tamen neminem hactenus animadvertisse libere profiteamur.

(ii) Solem equidem *Macrobius* lib. I. c. XVII. Saturn. & *Julian. Apostata* hymn. Regi omnium soli dicato plusquam divinis laudibus ornant, ac omnis superstitionis apicem fuisse, ad quem omnis quoque Idolorum cultus, ceu communem rerum arbitrum respexit, non levibus argumentis convincunt. Hinc fulminantem solem sub *Jove*, serenum sub *Phæbo*, aut *Dio*, frugalem sub *Cerere* & *Baccho*, sub aliis Deorum nominibus; alia ejus opera Romanos & Græcos æque, ac barbaras gentes coluisse diligentissimus scriptor *Cluver* in *Germania antiq.* lib. I. c. XXVI. quam solidissime demonstrat. Cui *Seneca* lib. IV. de benef. c. VII. pondus addit; qui *Jovem*, id est *Solem*, ex eo *Stato-*
rum dici, quod beneficio ejus omnia

stent, existimat. Tot enim appellationes ejus esse possunt, pergit, quot munera & cap. seq. addit: Hunc & liberum Patrem, Herculem & Mercurium appellant, quum horum singulis officiis fungatur, quæ imperita multitudo diversis nominibus adscripsit. Cum quibus confer *Apul. lib. de mundo* p. 75. sub finem. At neque *Slavos* ab hac opinione penitus alienos fuisse *Helmoldus* lib. I. c. 83. p. 185. §. 4. edit *Bangerii* testatur: non dissentitur *Slavi* unum DEUM in cælis cæteris imperitantem. Ecquis vero tandem summus ille Slavorum DEUS fuit? num ignotus ille Atheniensium, de quo in *Aëtibus*? minime omnium. Philosophis enim hanc ingenii acrimoniam largior; imperitæ plebi, qualis Slavorum populus tunc erat, illud *Cæsaris* lib. IV. p. 135. comment. Gall. applico: Deorum numero illos solos ducunt, quos cernunt. Qui nam vero illi? pergit *Cæsar*: Solem, Vulcanum & Lunam. En antesignanum Ἡλίου, ducem illum, principem & moderatorem: mentem mundi, cæli faciem, ut apud *Tullium* in *Som. Scip. c. IV.* audit. Hic ille arbiter omnium rerum, hic tot

§. 14. Superstitiosam colendi idolum rationem, brevitate studiosi, bonam nunc partem scientes præterimus; cum ab aliis hæc ipsa auctoribus jam satis descripta esse reperiamus; de illis tamen, quæ facere ad sententiam, aut aliquantum lucis indigere videbuntur, erimus nonnihil commemoraturi. Idolum enim commune Slavorum quamvis *Suantevitus* fuit, certis tamen de causis in terra *Rugianorum*,

causarum patronus, tot nominum ac titulorum apex. Hunc omnis terra, gentes omnes, & quam late demum superstitio suas radices extendit, si Æthiopes, qui nimium solis calorem fastidiant, exceperis, colunt, suspiciunt, venerantur. Ad hunc etiam DEUM Deorum qui propius accedebat, eo divinior ac præstantior, ipso Helmoldo teste lib. I. c. 83. p. 185. erat Slavis. Ἡλιον ergo θεὸν μόνον & illi cum aliis apud Herodot. lib. I. Strabon. XI. crediderunt. De quo elegantissime Orpheus cecinit; qui versus in Apulejo lib. de mundo circa finem p. 75 servati. Sed forte indignus tanta divinitate *Suantevitus* est? imo apud Slavos omnium longe dignissimus, quo dignior nullus, nemoque divinior. Ita enim Helmold. lib. I. c. VI. p. 21. §. 5. *Suantevito* primatum Deitatis specialiter attribuerunt Slavi. Ab hoc omnes responsa capiunt, huic singuli sacrificia exhibent. id. lib. c. p. 125. §. 3. pergit: inter multiformia Slavorum Numina præpollat *Suantevit*, DEUS terra *Rugianorum*, utpote efficacior in responsis, cujus intuitu ceteros quasi

SemiDeos aestimabant. Quin de omnibus Slavorum provinciis statuas sacrificiorum impensas transmittunt. Imo lib. II. c. XII. p. 235. ulterius progreditur: *Suantevitum* DEUM Deorum esse profitentur. Vides hic quam apposite *Suanteviti* divina majestas, quam inter Slavos habebat, soli tribuatur: & quam ovum ovo similior sacer solis apud diversas gentes cultus, ac veneratio rursus *Suantevito* sit: quam inepte vero hæc omnia ad Sanctum Vitum trahantur. Cum enim *Suantevitus* antiquissimum Slavorum idolum dicatur; *S. Vitus* recentissimus inter omnes Slavorum Deos est, post Ludovici Pii tempora de mum natus: porro cum ille omnium Slavorum, qui quartam tunc ferme Europæ partem occuparant uti apud ipsum Helmold. lib. I. c. 1. p. 1. §. 2. & Cromer. de Origin. Polon. lib. I. c. 2. p. 9. & 10. in venies, commune oraculum fuerit: hic nonnisi *Rugianorum*, pusilla sane majestas, tam arctis finibus terminata, dicatur. Quis ergo vel in somnio nobis has fabulas & anilia commenta unquam persuadebit.

rum, natura situque munitissimo loco relictum, per
universas eorum regiones ut solem gentes aliæ, Slavi
venerabantur (ll).

§. 15. Fanum deinde Idoli, (mm) figura
(nn) &

(ll) *Suanteviti* divinitatem per omnes Slavorum terras à Mari Baltico ad Hungariam usque, & amplius patuisse §. 13. lit. II. demonstratum dedimus. Ab hoc enim omnes Slavi responsa capiunt, huic de omnibus Slavorum provinciis stantibus sacrificiorum impensas transmittunt, dicit *Helmold.* II. c. c. nunc in quam regione steterit *Suanteviti* dicendum. *Rugianorum* vero terram, veteribus *Ranorum*, sedem hujus idololatrice fuisse *Helmoldus* autor est lib. I. c. VI. p. 21. §. 3. & 4. stabat idolum in terra *Rugianorum* seu *Ranorum*, qui habitant in corde maris puta Baltici. Imo & oppidum *Arbona* seu *Arkona*, (hodie forte *Futbus*, ut *Buno in Cluver.* p. 186 lib. III. c. XIV. annotat, quæ urbs terra illius Principalis audit *Helmoldo* lib. II. c. XII. §. 13. p. 236.) à *Saxone Grammatico* lib. XIV. f. 319. nominatur: *Arkona* in excelso promontorii cujusdam vertice collocata, non manufactis sed naturalibus praesidiis munitur. Medium urbis planitiem habebat, in qua *Suanteviti* delubrum. Quæres tamen nobiscum benevole lector, quæ causa Slavis fuerit, quod in terra *Rugianorum*, maximam eis partem remotissimo loco primarii Deastri sedem elegerint, cum in medietate regionis plerisque id commodius longe fuisset, nec tanto itinere *Suanteviti* cultores essent defatigati,

nonnunquam vere ab ejus cultu detenti. Sunt quidem, qui *Helmoldum* lib. II. c. XII. p. 235. §. 5. hic denuo audiunt, *S. Vito* in *Corbeia Nova* terram *Rugianorum* à *Eudobico* esse oblatam, *Sacerdotes* vero ibi *Oratorium* in honorem *S. Viti* fundasse, hinc religionem cum superstitione *Suanteviti* mutatam ibi quoque radices egisse, credentes. Sed fabula supra detecta. Ipse sane dubitat *Helmoldus*; *Tenuis enim fama commemorat*, ait l. c. Nos ejus duplicem ex ipso *Helmoldo* causam, veriore longe afferimus; nam securitatis ergo fecisse id *Slavos*, cum *Arkona* *Rugianum* oppidum natura quam munitissimum scirent, existimamus: deinceps commercii, & *halecum* captura aliisque divitiis affluentissima Urbs ad *Suanteviti* reditus, quos ab omni mercatura habebat, non parum contulit. Imo felicium nundinarum patronum quando credidere suum *Suanteviti* *Slavi* in metropolin quoque ponerent utilitas suadebat. Et tandem dignissimi hoc Deastro *Slavis* ceteris videri poterant *Rugiani*, quos ipse à pietate justitia, magnificentia, & cultu præ reliquis commendat *Helmoldus* *Evolve eundem* lib. II. c. XII. si vis, & hæc singula quam verissima esse deprehendes.

(mm) Magnificentissimum *Suanteviti* delubrum *Saxo* lib. XIV. f. 320.

(nn) & sacra quæ ei fiebant, (oo) ut & ratio colendi, (pp) dies festi, (qq) omina (rr) ceteraque nostram sententiam quam solidissime confirmant.

§. 16. Du-

pluribus verbis celebrat: exterior adis ambitus accurato calamine renitebat. Ipsum fanum duplex septorum ordo claudit; è quibus exterior parietibus contextus puniceo culmine tegebatur: interior vero quatuor subnixus postibus parietum loco pensilibus, aulis nitebatur. Omnia sane majestatis ac venerationis plena, si & cetera consulas, quæ apud Cramer. lib. I. c. 43. Hist. Eccl. Pom. & recentiores alios extant. Nemo ex plebe facile admittebatur ad hoc templum, solus Pontifex certo tempore intrabat, cum omnium Deorum ibi aras & focos, plenissimamque divinitatis sedem crederent Slavi; ut ex aliis prolixè disseruit Christoph. Arnoldi ad Rossium p. 195. & alibi.

(nn) Figuram Idoli Saxo Grammat. d. l. ita describit: Ingens in ade simulacrum, omnem humani corporis habitum granditate transcendens, (ita enim gigantis instar, sol & alibi depingitur) quatuor capitibus totidemque cervicibus mirandum perstabat, è quibus duo pectus totidemque tergum respicere videbantur. Ceterum tam ante, quam retro collocatorum unum dextrorsum, alterum laevorsum contemplationem dirigere videbatur (en quatuor anni tempora, quæ Sol perficit, habes) Corrasse barba, crines attonsi figurabantur, (causam ipse subjungit) ut artificis industriam ritum in cultura capitum emulatum putares. In dextra cornu vario metalli genere excultum gestabat. (ex

hoc enim annonam, Solis opus, perspiciebant) Laeva arcum reflexo in latus brachio figurabat. (arcus enim & sagitta proprium solis insigne: vid. Tollit sapientia insaniens p. 58. 59.) Tunica ad tibias prominens sargebatur, pedes humo centigui. (ita & Poëtæ radios Solis describunt) Haud procul frenum ac sella simulacri, compluraque divinitatis insignia. Quorum admirationem conspicua granditatis ensis augebat. Alia equestri armatura ut calcaria, ephippia frena ocreas ceteraque Cramerus d. l. addit. Qua causa id factum sit, modo indicatum est.

(oo) Antequam rem divinam faceret Sacerdos, scopis quam diligentissime fanum Suantebiti purgabat, spiritu oris compresso, quem quoties revocare opus erat, ad ostium decurrit, ne scilicet humano halitu numinis præsentia offenderetur. Uti Saxo l. c. Munster. lib. III. Cosmogr. & Schedius Syntagm. ult. c. XII p. 503. de Dis Germ. pluribus edocent. Tum, ut mox constabit, merum, ac placentam ea magnitudine offeriebant, ut homo post eam latere potuerit, forma tamen (ne aliquid à sole abluderet) rotundam. Nummos quoque Idolo pendebant, & tertiam spoliorum ac prædæ partem. Apud Ranos quidem non habetur moneta, nec est in comparandis rebus consuetudo nummorum, sed quidquid in foro mercari solueris panno linteo comparabis. dicit Helmoldus lib. I. c. XXXVIII. p. 95. §. 7. Sed, aurum &

§. 16. Duravit vero hæc *Suanteviti* apud Rugia-
nos superstitio ad annum N. C. cxcclxvii. usque; quo

B tempore

argentum quod forte per rapinas & ac-
captiones hominum, vel undecunque a-
depti sunt, aut uxorum suarum concubibus
impendunt, aut in ararium Dei sui
conferunt. Sol enim Rex ille rubeus, &
Deus metallorum, ut cum Poëtis ac
chymicis loquar, cui ergo & hæc mun-
nera respondent. Cum autem Christiano-
rum sanguine Deos suos delectari
Slavi existimarent, ut *Helmold. c. XII.*
lib. II. 235. §. 9. *Suantevito suo in pe-*
culium honoris annuatim hominem Chri-
sticolam, quem fors acceptaverit litare
consueverunt. Imo ib. I. c. LII. p. 135. §.
3. & c. XII. p. 236. §. II. quod Odescalco
Christiano Sacerdoti insidiati propte-
rea fuerint, quo ejus cruore Suantevi-
tum placarent, testatur.

(pp) Illud quoque non prætermi-
tendum est, quando *Saxo noster l. c. tre-*
centos equos aluisse Suantevito Slabos
memorat. Quod manifestissimum est
Solis insigne. Hinc Claudianus in Olybr.
65 Probin.

Sol, qui flammiferis mundum com-
plexus habenis,

Sparge diem meliore coma, crinemq;
reperi.

Blandius elato surgant temone ju-
gales.

Ubi ne prolixi simus confer, quæ in eru-
ditissimis notis *Barthius in h. l. Claudi-*
ani collegit. Candidum vero equum
ei porro tribuit Saxo l. c. albi coloris pe-
culiaris fuit Suantevito equus, cujus ju-
ba, ac cauda (hinc radii solares trinitati,
Sol criniger, ignicomus, Phœbus co-
mosus Poëtis dicitur) pilos combellere

nefarium ducebatur. Hunc soli Sacerdo-
tes curant, cui insidere *Suantevitus con-*
tra hostes suos egregius bellator cre-
ditur Slabis. Eodem sane modo So-
lem Tollius lib. cit. p. 60. describit: Jam
victor atque triumphator Rex aurea
coronæ, prostratis hostibus in candidis
equis toto cælo invehitur. Cum quo
& Albericus Gentil. de Deor. imagin. ac
ceteri mythologiæ Scriptores loquun-
tur.

(qq) Neque festi dies, ac solennia
anniversaria *Suanteviti*, à solis cultu fue-
re aliena. Post lectas enim fruges, ma-
ctatis ante ostium victimis solenne genti
epulum erat. Ad ortum Solis excubante
ante fores populo, sacerdos templum
ingressus, cornu, quod prioro anno im-
pleverat, contemplatur, & si plena
mensura, uberem, si qua parte minuta
tenuem messem prænuntiat, jubetque
fruges eo diligentius asservare. Quo fa-
cto, poculum exhaurit Sacerdos, ac
mero impletum dextræ simulacri resti-
tuit, in omen sequentis anni. Tum
admonet quoque ad colendum *Suan-*
tevitum Sacrificulus; reliquum diei da-
tur luxuriæ. In quo epulo, sobrietatem
violare pium æstimatum est, servare ne-
fas habitum. Uti prolixius hæc omnia
Saxo jam aliquoties citatus differit. E-
jusmodi solennia finita messe instituta,
Soli Sacra fuisse ex aliis discis Schedio &
Cluvero auctoribus allegatis.

(rr) Unum superest, quod *divina-*
tiones & omina concernit. Cum enim
bellorum quam maximus patronus &
arbitrè crederetur *Suantevitus*: ab hoc

tempore idolum à *Waldemaro I.* Danorum Rege penitus deletum, ac igne concrematum est (ss) ipsi- que Rugiani ad fidem Christianam reducti.

DE RADEGASTO.

§. 17. *Suantevito* nunc *Radegastum* subjungimus, Idolum nulli ex reliquis secundum; iisdem tamen

circa

quoque auspicia sumebant Slavi. Ante fanum enim ait *Saxo l. c.* hastarum triplex ordo disponebatur ad quem equus *Suanteviti* à Sacerdote productus, si ante dextro quam lævo pede hastam transscenderet fausti; si sinistro infelicis ominis erat. Quem ritum ominandi & *Cranz. Vandal. V. Cluverus Germ. antiq. lib. I. c. XXXVI. p. 259. Elias Schedius Syngramm. II. c. XLV. p. 499. Cramer. lib. I. c. 21. hist. Ecclesiast. explicarunt,* jam ante à *Tacito de M. G.* apud majores nostros animadversum.

(ss) Cum renuissent Rugiani *Waldemaro I.* Regi Danorum, contra hostes pugnanti suppetias ferre; hic alius *Pomeraniæ* principibus ipsoque *Obo- tritorum* Duce *Pribizlavo* in belli Societatem adscitis, terram Rugianorum magno impetu invadit, mox obtinet, & urbis *Arcona* incolas ea lege in fidem recipit; ut sine mora, ac pretio captos à se Christianos dimitterent, & veram religionem Danico equidem ritu amplecterentur. Quod eum facere coacti essent Rugiani; *Suanteviti- tum* evertere suis Rex imperat, quando ad id præstandum nullus poterat Slavorum adigi, hi cuniculis ac ferro simulacrum effodiunt, aulæis, quibus sacellum tegebatur, avulsis totoque ornatu surrepto. Magnus tunc ex omni gente fuit concursus, vindictam Dei sui contra Danos singuli expectantes: sed corruit tandem Idolum; prostratum fuit in collum misso per totum exercitum, conspicientibus Slavis, pro trahitur, mox frustulatum concisum igne penitus absumitur. Addit *Saxo l. c. Demon in fur- bi animalis figura ex idolo migrabit, subito se circumstantium conspectu subducens.* Tum vero varie judicatum à Rugianis pristinis cultoribus est, aliis Dei sui injurias lachrymis, risu prosequentibus aliis, sibi que ac suæ simplicitati indignantibus. Cum hoc ergo in plerisque deleta *Suanteviti* fuit, totiusque idololatriæ divinitas est; Bohemi tamen rumore hoc ipsum de *Suantevito* suo cum tantum percepissent, ejus memoriam & post servarunt, peregre advenientem hac formula salutantes: *Witau Witau*, quod de *Suanteviti* moderamine ac vita per ipsum mortalibus concessa interpretabantur. De quibus singulis *Helmoldus, Dubravius, Saxo, Cranzius, Emserus, Albinus, Schedius, Cramerus, Brotuffius, Schneiderus, Arnoldus* aliq; plures consulantur. Nobis enim tantum dixisse sufficiat dum ad reliquos Slavorum Deos nunc facimus progressum.

circa scripturam, & genuinas nominis natales difficultatibus pressum; ut expedire se ne unus ex omnibus quidem ac singulis scriptoribus hactenus potuerit. Nam vocis origines alii in germanico *Rath* & *Geist* quærunt; (ii) alii idem vocabulum à *Gast* derivant; (uu) ad Polonorum *Geß* / aut *Ces* / *sa* / Romanis *Jupiter*, confugiunt alii; (xx) rur-

B 2

sus

(ii) Cum Lingvæ Slavicæ imperitia errorum in hoc argumento, communissima causa sit; quàm & hic delinquendi occasionem auctoribus dederit, videndum est. Ac primum quidem illi admodum ineptiunt, qui Slavorum Idola è Germanis vocibus, à quibus tamen hunc populum quàm longissime abfuisse, supra demonstratum est, peti debere, qua mentis caligine nescio, existimant: cum tamen Lingvæ suæ, quàm tenacissimi semper custodes fuerint Slavi, ut in eorum posteris in Lusatia & alibi adhuc dum comparet. Hunc igitur scopulum eliminare & illi debuissent, qui a *Rath* / & *Geist* consiliorum interprete, aut *spiritu* nomen *Radegasti* provenisse delirant. Non equidem nescio *Rade* Slavis quoque consilium dici; nec ignorare quoque illud possum, *Geist* / agrestiores *Gaast* / longiori cum mora, pronuntiare; uti Hallis Suevor. *Der Hoal-Gaast* / & ita ex *Radgeist* facile *Radgast* / & *Radegastum* fieri: sed quis nisi omnium absurdissime, si cetera cuncta reclamant, uni scripturæ fidem habeat, quam casu sæpius convenire, omnes eruditi fatentur. Sic *אֶרְבֵּי* Ebr. piscis *ταρχὺς* Græc. *celer*, *Tach* Germ. *tectum*, literis ar-

ctius longe inter se, ac *Radegast* / cum *Radgeist* coherentibus. Quis vero nisi per febrim somniabit? *אֶרְבֵּי* piscem à Germ. *Tach* venire, cum squammæ ei tecti instar aut tegumenti sint, vel à Græcor. *ταρχὺς*, cum in aqua quam celerissime se nobis subducit. Subrides nos forte B. L. at tenacissimos auctorum errores magis magisque admirare nobiscum potius, qui in originibus Slavonicis investigandis quavis talpa cæciores sunt. Imo quam subtilium tandem consiliorum, si *Diis* placet, & *Radegastus* auctor fuisset, qui *taurinum* caput ante pectus gesit, ita enim pingebatur à Slavis; egregius sane *Mercurius* qui in consiliis *boves* & *asinos* callida fateor animalcula, imitatur. Explodendi igitur cum aliis *Joach. Pastorius abHirtenberg in dissert. de Originibus Sarmat p. 19. & Sagittar. de Bardic c. II. §. XXV. p. 56.* qui sententiam hanc approbant. Quibus nollem subscripsisset *Cl. Tenzelius in den Monatl. Unterred. A. 1689. p. 698.* falsus enima hic, Vir in tali studiorum genere alioquin nulla non laude dignissimus.

(uu) Eadem censura & illi digni sunt, qui ultimæ in *Radegasto* vocis



sus alii à Radehascz / consiliorum arbiter Slavis,
petunt: (yy) plurimi auctorum *Radegasium* ce-
lebrem Obotritorum Regem, in Deorum, ut pu-
tant, societatem à suis receptum, primas Idolo nata-
les dedisse existimant. (zz) Nobis in tanta aucto-
rum

originem paulo aliam in Vernacula no-
stra eandemque meliorem longe inve-
nisse se arbitrantur. Quibus equidem
illud facile largior, Germ. Gast non
hospitem veteribus, uti nunc, sed *for-
tissimum quemvis*, & ad utrumque pa-
ratum denotasse: (id enim præter *leges
Salicas*, & *Carolingorum scriptores*,
*Meibomius in not. ad Wittek. p. 42. Ban-
gertus, in lib. I. Helmold. c. 52. p. 127.
Schottelius lib. V. Gramm. p. 1057. & nu-
perrime Illustris Stiegelius, Spate in
Lex. Germ. libro à multis annis desi-
deratissimo, aliique docent*) at vero
exinde *Radegasti* taurinum pectus *Rad-
gast alacrem consiliorum interpretem
dixisse* Slavos quod *Bangertus l. c.
Masius de Diis Obotrit. & Arnoldus ad
Rosseum p. 177. & Excell. Sagittar.
l. c.* intendunt; à me ob datas præ-
cedente §. rationes impetrare hætenus
nequivi.

(xx) His omnibus non melior con-
jectura *Joach. Pastori* est, qui in *differ-
tat. Sarmat. p. 22.* ultimam *Radegasti*
syllabam in voce Polonica *Geß* / aut
Gessa / quam *Alexand. Gbagninus* Po-
lonorum *Jobem* notasse, in *Chorogra-
phia* credit, inveniri posse existimat.
Abludit enim à scriptura nimium vox;
neque cum Polonorum idolis, *Radega-
stus* noster confundendus est.

(yy) Sententia hæc ceteris utique

præferenda; qua à *Radehosc* / quod
in Latino *satis consilii* vertas; aut *Rad-
ehosc* / Slavis *consiliorum arbiter*, no-
men *Radegasti* deducitur. Neque enim
quod vel circa scripturam, vel Lingvæ
Slavonicæ indolem rationemque mo-
nere, aut aliud quid desiderare posse-
mus, invenimus. Cui etiam eo liben-
tius subscriberemus, nisi idoli effigies
ac cultus infra describendus à nobis, ali-
quantum alienior ab ea, planeque di-
versus esset.

(zz) Nemini obscurum esse existi-
mo, quis *Radegasius* fuerit? Obotrita-
rum celebratissimus apud Historicos
Rex, & immanissimus pariter, ac infe-
licissimus tyrannus. Hic enim conglo-
batis 200000. militibus Italiam in gres-
sus, totam metu ac tremore percussit;
cumque & ipsi Romæ extrema minaretur,
desperare iam tam de salute sua
plerique Romanorum cœperant, tene-
ram Honorii Imperatoris ætatem, tan-
tisque rebus impari longe secum re-
putantes. Plurimi vero causam belli
malique non aliam credebant, quam
quod Deorum sacris neglectis, Christo
nomen dedissent Romani. Hinc ad
renovandam pristinæ religionis faci-
em, tota urbs animos mentesque ap-
plicabat, plures veterem idolorum suo-
rum cultum jam jam receperant. Has
inter divini pariter humanique iuris

rum varietate, uter verius, aut probabilius dixerit, perquirendum nunc est.

§. 18. Cum vero certo certius constet, *Radegastum* Martem suæ gentis fuisse, nomen ejus à *Rosswoz* (aaa) quod *Ducem belli* Slavis significat,

B 3

natales

ingentes calamitates, præsentissimam æterni Numinis opem experti Romani sunt. Nam præter omnium spem *Radegastus* imprudenti plane ac infelici consilio vastissimum exercitum, ne magnitudinem ejus rescirent Romani quam arctissime in montium jugis contrahit. Mox ab hostibus concluditur, fame ac situ conficiendus cum suis. Sed milites abjiciunt arma & infinita eorum capitur à Romanis multitudo. Ipse *Radegastus* Rex, cum fuga sibi consulere vellet, in vincula coniectus, vita tandem privatur. Quam barbarorum cladem præter *Socratem*, *Sozomenum*, *Zosimum*, *Zonarum*, *Cedrenum* aliosque. ex Latinis *Orosius*, *Paul. Diaconus*, & *Jornandes* imprimis, ac recentiores inter *Joh. Cuspinianus* de *bitis Imperator*. innumerique alii quam prolixissime describunt. Hunc ergo post mortem *Radegastum*, ob præclara in gentem suam merita, DEum ac arbitrum belli credidisse Slavis, ac Martis instar coluisse, auctores existimant, atque hoc ipsum *Radegasti* idolum Slavis esse pro certissimo habent. Quam sententiam approbant *Albinus* p. 149. *Reinefius de Deo Endobell.* p. 12. *Schedius Syn-tagm. ult. c. IV* p. 482. *Sagittar. l. c.* alii que plures. Verum enim vero, quamvis hic illos Deos creandi, qui in bello pro patria defuncti sunt, modus non adeo inusitatus gentibus erat: multa

tamen, quæ scrupulum injicere nobis queunt, hoc loco reperiuntur. Adde- mus primum quid male *Bangertum* hic habeat, in lib. I. c. 52. *Helmoldi* p. 126. *Si quis tamen contendat, idolum Regem Radegastio puta, antiquius fuisse, & hunc ab illo esse denominatum non multum refragabor.* Deinceps impetrare à me vix possum, ut illum Numinis loco habuisse Slavis existimem; qui non infelix solum in bello fuit, ac misere in hostium ipse manibus perit: sed etiam, uti *Paul. Diaconus* lib. XIII. p. 666. exercitis verbis scribit; imprudenti plane consilio militum tantam jacturam fecit; ut in vilissimarum pecudum modum singulis aureis passim greges hominum venderentur. Exspirant ergo res feliciter gesta, quas ei *Sagittar. d. l.* ad sententiam probandam frustra tribuit.

(aaa) Ne scripturæ diversitas scrupulum injiciat legenti, quomodo conciliandum utrumque vocabulum sit, ostendendum est. Primum autem illud sciendum, scriptores in voce hac admodum differre. *Zosimus* enim lib. VIII. in *Arcad.* & *Honorio* *Podoydit-* & *Isidor. Hispal. Goth.* 437. *Radegastus.* *Helmoldus* lib. I. c. 21. p. 61. §. 1. *Radigastus*, lib. I. c. 2. p. 6. §. 6. *Redegast* & lib. I. c. 52. p. 125 §. 2. *Radigast.* *Ditmar. Chron. Mers.* lib. VI. p. 135. *Riedegast* legunt. Ex diversa hac scribendi ratione, nunc facile colliges, vocis scripturam

natales quoque sumpſiſſe, nobis probabile videtur.

§. 19. Ipiſum Idolum in *Retra* urbe ſtetit pri-
mum, poſt etiam apud *Obotritos* inventum, (*bbb*)

aureum

aut ambiguanſe, aut multam par-
tem corruptam. Quod ſi impetrave-
ro, non à literis amplius vocis origi-
nem petendā, ſed in cultu idoli, ac mu-
neribus quæ ſuſtinuit potius quærendā
eſſe patebit. Et vero hoc ipſum *Ros-
wodz* Dux belli Slavis, titulus Martis O-
raculo, quæ Radegaſtus fuit, ut mox
oſtendam, admodum conveniens o-
mnium optime præſtat. *Rosno* enim
Slavis *dis* eſt, ſeparandi vim habens par-
ticula; *Wodzu* vero *duco* illis ſignifi-
cat, & hinc *Roswodz* belli Dux Germ.
ein Herzog. *S* vero & *Z* / aut *D* lite-
ræ admodum à plebe confunduntur;
ut huius terræ incolæ agreſtiores pro,
Waffer / *Watter* dicunt, alii *Wader*:
ſicque ex *Roswodz* / *Rodwodz* factum,
ut adhuc dum *Rodewiz* pagus in Luſa-
tia eſt. *W* itidem cum *S* facile mi-
ſcetur uti pro, *Wilhelm* / Latinis *Guil-
elmus*, aut *Gulielmus* dicitur; & ita
Rodwodz in *Rodgodz* / ac vocalibus
o in *a* mutatis, uti ſuperius §. 12. lit-
hb. factum eſt, *Rodgodz* habes, quo
modo etiam *Isidorus* l. c. legit. Latiniſ
vero pro, *Radgaſtus*, *Radgaſtus* aut *Ra-
degasſtus* ſcribitur, ad difficilem conſo-
nantium vitandam juncturam. Quod
& cum omnibus ac ſingulis, quæ de
idolo dicuntur quam arctiſſime cohæ-
ret; ut ſuo nunc loco dicetur.

(*bbb*) *Obotritorum* regio hodie
Meklenburgenſium, & *Sberinenſium* eſt.
Hinc quærit *Bangertus* lib. I. c. 52. p. 126.
b. in *Helmold.* qui fiat, quod in *Retra*

urbe, quam *Pomeraniæ* quondam fu-
iſſe, ex ipſo *Helmold.* lib. I. c. 21. p. 61.
§. 1. patet; cum *Riaduros* ſive *Tolenzos*,
Retarum incolas puta, *is Panim* *Po-
meraniæ* fluvium *habitaſſe* dicat, (hodie
Ræbel vocari *Chytræus* in *Vandal.* part.
1. *Chron. Sax.* lib. III. p. 210. divinat)
Qui fiat, inquam quod in hac urbe *Ra-
degasſtus* ſtetiſſe exiſtimet *Helmoldus*;
& alibi tamen præcipue *Obotritorum*
idolum fuiſſe innuat. Loca ejus in
promptu ſunt: lib. I. enim c. 2. §. 6. p.
6. ait: *Poſt Oderæ* lenem meatum, &
S *barios* *Pomeranorum* populos, ad occi-
dentatem plagam occurrit *Winnulo-
rum* provincia eorum qui *Tolenzi* ſive
Redarii dicuntur. *Civitas* eorum *Sul-
gatiſſima* *Retæ*, ſedes *Idololatriæ*.
Templum ibi magnum conſtructum da-
monibus, quorum princeps eſt *Redegaſt*.
Hinc *Redarii* *Bangerto* lib. cit. p. 11.
Stolpenſes & *Anclamenſes* ſunt, ad il-
lum *Oderæ* meatum verſus occiden-
tem, uti *Helm. l. c.* vult, ſiti. Cum quo
conſentit *Ditmar.* *Chron. Merſeb.* lib.
VI. p. 135. niſi quod hic urbem *Redari-
orum* *Riedgaſt* dicat; quam eandem
cum *Retra* eſſe, ante *Exc. Sagittarium*
qui tamen conjecturæ autorem ſe cre-
dit, *tractat. de Bardobico* c. II. p. 55.
id obſervarunt *Cl. Bangertus* lib. cit. p.
127. ac ipſe *Maderus* in margine aucto-
ris p. 136. Sed aliter forte *Helmold.*
lib. I. c. 52. p. 125. *Radegaſt* *DEus* terræ
obotritorum. nulla amplius *Redario-
rum* facta mentione. *Bangertus* ſe ita

aureum vere toto corpore erat; cujus capillis *avicu-*
la inhærebat; *tauri* capite dextra tegebat pectus,
læva manu *bipennem* tenens (ccc).

§. 21. Ra-

conciliasse Helmoldum l. c. existimat; quando etiam in urbe *Mechlenburgo*, & vicino oppido *Gadebuscho* templa ac statuas *Radegasti* fuisse *Reimari* in *chron. MSC.* testimonio, ipsoque nomine *Gadebuschi*, quod à *Radegasto* ortum fuisse credit, ac reliquiis templi *Gadebuschani* de *corona Radegasti* in partes vocatis, confirmavit: sed ita sibi ipsi contrarius esset *Helmoldus*, qui lib. l. c. 21. p. 61. §. 1. ait: *Redarii* propter antiquissimam urbem, & celeberrimum illud sanum, in quo simulacrum *Radegast* ostenditur, regnare inter *Wilzos* eo quod ab omnibus populis *Slavorum* frequentarentur, propter responsa & annuas sacrificiorum impensationes. De quo gloriati vix *Redarii* potuissent; & in aliis *Slavorum* regionibus *Radegasti* idolum fuisset inventum. Quare idem tunc temporis nec *Obotritas* habuisse, existimandum est. At vero errasse *Helmoldum* dicemus? nec quicquam. Cum enim everteretur ab *Otone M. 960.* *Retra* urbs, ipsoque cum ea *Radegastus*; *Obotriti* avitæ religionis tenaces in suis terris celebre *Radegasti* idolum statuerunt, ac multo post venerati, ad secul. XII. usque sunt. Uti nec dissimulare *Bangertus*, cum eoque *Exc. ll. Sagittarius ll. cc.* possunt.

(ccc) Figuram Idoli ex vetere *Chronico Bangertus* lib. cit. exhibet, quod *Chr. Arnoldi* in append. ad *Rolfseum* p. 176. resumit. Cujus imago vi-

nec ullo circa pudenda etiam velamine tectum: vultus vero ferox est, ac severus; caput cirispum, cui avis explicatis alis inhæret: pectori quoque tauri caput nigrum additur, quod dextra suffulcit Idolum. Disputat vero l. c. *Bangertus*, unde tauri caput ei tributum sit; dicitque: *Qui genealogiam Principum Mechlenburgensium ad Anthyrium referunt, caput illud taurinum à Bucephalo Alexandr. M. esse contendunt. Anthyrium enim Alexandro militasse, postquam ille in fata concessisset, ad suos Obotritos nabi reversum esse, atque insignia Bucephali caput in prora, gryphum in puppi ostentasse; quam sententiam nos in suspensio relinquimus. Nullius, licet fabula de Anthyrio quoque vera esset, quæ tamen falsissima est, hæc apud me auctoritatis sunt. Ipsam enim animalium naturam insignia dedisse Radegasto certus sum; cum taurus fortitudine ac robore validissimum animal, gryphus itidem promptissima ad rapinas avis, egregias bellantium virtutes exprimere Slavis viderentur. Hinc læva manu bipennem tenet, singulare isto tempore, armorum genus. Cumque pugnantibus consilia suggerere, ac robur largiri crederetur à suis: Hunc enim ad bella properantes salutant, illum prospere redeuntes muneribus debitis honorant, dicit *Ditmarus* p. 136. lib. cit. ut resumeret animum quandoque, tot in bello laboribus ac mole-*

stis defatigatum, ostro ei lectum para-




§. 21. Tandem Radegasti idolum ab Ottone M. Imperatore circa annum 960. penitus deletum est; (ddd) apud Obotritos tamen cultum, donec omnes Slavorum populi Sec. XII. Christo nomen dedere.

se Slavos, *Helmold, lib. I. c. 2. p. 6. §. 7.* innuit. an vero ad colorem pariter qui purpureus ex ostro veniebat, ac ipsam materiam & testam animalculi respiciat auctor, divinare equidem nolim. Purpura tamen magnam Dea stri divinitatem augere poterat, ac rubeus color pugnae cruentae signum fieri. Ceterum templi magnitudinem *Ditmarus lib. VI. p. 135.* admiratur: In eadem tertiae urbis Rethrae vel Ridegast parte, quae orientem respicit, nil nisi fanum est, de ligno artificiose compositum, quod pro basibus diversarum sustentatur cornibus bestiarum. Hujus parietes variae Deorum Dearumque imagines mirifice insculptae, ut cernentibus videtur, exterius ornant. Addit deinde vexilla ibi servari ad expeditionem necessaria ipsaque numina galeis atque loriceis terribiliter vestita esse. Id tamen me male in auctore habet, quando *Luarastum primas tenere, & praeter ceteris à cunctis gentilibus coli existimat.* Aut enim pro *Luarasto, Suancebitus* restitui oportet, de quo supra: aut, quod mallet, *Luarasti* nomine hic intelligendus *Radegastus* est. Cui *Adamus Bremensis p. 48.* ipseque *Helmold l. c.* principatum inter Deos Slavorum, maxime Redariorum, concedunt. In sacrificandi tandem modo rituque prolixus *Ditmarus* est, l. c. qui utique hic consulendus.

Nec aliter *Helmold. lib. I. c. 52. p. 125. §. 2.* cultum ejus describit, aliis tamen Slavorum numinibus eundem pariter tribuens: quibus de hostiis ac festis diebus addit: *solennitates diis dicendas sacerdos juxta sortium nutum denuntiat, conveniuntque viri & mulieres cum parvulis, mactantque diis suis hostias de bobus & ovibus, plerique etiam de hominibus Christianis, quorum sanguine Deos suos oblectari jactitant. Post casam hostiam sacerdos de cruore libat, ut sit efficacior oraculis capiendis. Consummatis juxta morem sacrificiis, populus ad epulas & plausus convertitur. Ultimique bono pariter ac malo deastro in computationibus libant.*

(ddd) Cum omnes ferme Slavos perdomuisset Otto; Rethram quoque urbem coepit, atque impiis Slavorum evertis numinibus, totam idolorum ibi sustulit superstitionem. ut *Ditmarus lib. II. p. 24.* alique docent. Sed vero circa annum 1130. *Radegasti* meminit adhuc dum *Helmoldus lib. I. c. 52. p. 125. §. 2.* cum aliis idolis ab *Obotritis* culti. Hos ergo majorum suorum numina, cum iisque & *Radegastum* repetiisse oportet. Quae sententia *Bangerii* quoque est *cit. lib. p. 127.* & qui cum sequitur *Cl. Sagitt. d. l. p. 55.* Seculo vero XII. & ipsi cum aliis veram Christiani nominis religionem amplexi sunt.



DISSERTAT. HI
 SECUNDAM
 DE
 IDO
 SLAVOR
 PRÆSIDI
 M. JOHAN. I
 LUDOVIC
 POET. LAUR. CA
 exponet
 MICHAEL
 Budissa-Lusat
 An. c1s 1sc VIII
 Die XXIV. Septe
 Hora antemeridiana, loco
 VVITTEBERGA
 Typis MARTINI SC



7

